

Inter Py-
thagoreos
& Pytha-
goristas
qua diffe-
rentia?

Vita, Philo-
sophiae, &
symbolo-
rum Py-
thag. scri-
ptores.

fuit, *Eistolæ*. Qua occasione observa differentiam inter Pythagoreos & Pythagoristas. Illi dicebantur, qui & sentiebant & vivebant *pythagorice*; hi vero, qui non improbabant quidem dogmata Pythagoræ, non tradebant tamen se plene ejus sectæ & disciplinæ, cuiusmodi Pythagoræ imitatorem Theocritus Platonem dixit, licet Platonis vita splendida, in opia & squalori Pythagoræ minime responderit; de quibus Pythagoristis apud Schilterum *de Discipl. Pyth.* §. XL. p. m. 554. seq. de veris autem & genuinis Pythagoræ sectatoribus atque successoribus apud Schefferum *de Nat. & Const. Phil. Ital. Cap. XV.* plura legi possunt. Inter Patres æstimavit maxime philosophiam Pythagoricam Clemens Alexandrinus, quam contra alii ut christianismo valde perniciosa, & ex qua manichæismus prognatus, cautete evitarunt. Dogmata ipsius Pythagoræ & Pythagoricorum in Ciceronis & Plutarchi operibus passim videre licet, collegitque Joh. Stobæus, vir multæ lectionis, e Pythagoreorum doctrinæ additionis scriptoribus, velut servatas ex naufragio tabulas, eximia prorsus fragmenta. De scriptis hujus disciplinæ, quæ perierunt, ita Vossius *de Philosoph. Sectis Cap. VI*: Utinam extarent quæ de Pythagorea philosophia scripsere Aristoteles, Androcydes, Antiphanes & Alexander, qui in hoc argumento a veteribus laudantur. Utinam supereisset Philolaus, qui Pythagoræ dogmata conscripsit. Utinam & supereisset Didymus, quem de philosophia Pythagorica librum fecisse Clem. Alexandr. auctor est.